Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 1041

Quelle:
Copyright:

uam uobis ammonitionem de oratione dominica facere, quam rogo ut intentis auribus audiatis. Dominus enim noſter ihesus chriſtus pro ſalute noſtra in terras deſcendere dignatus eſt &c. 4) incipit: *Pater noſter qui es in cęlis. Vniuerſas orationum ſpecies absque ingenti cordis atque animę puritate. et illuminatione ſancti ſpiritus arbitror comprehendi non poſſe* &c. Atque haec ſola nomen autoris praefert *Abbatis Iſaac*, legiturque in *Collationib. PP. Joh. Caſſiani, Collat.* IX. in *Biblioth.* etiam *PP. Lugd.* T. VII. p. 156. abrumpitur autem in *Codice* his c. 28. verbis: *uelut degeneres priuet et iram nos fa——*. Ceterum omnes frugi ſunt.

VI. *fol.* nunc 151. *Lectionarium* ob membranas exciſas ἀκέφαλον, et primum quidem *Hiſtoria duplex de S. Conſtantio*, quem quidam nullo nixi fundamento Patriarcham *CPolitanum* pronuntiavere. Priore narratur, qua ratione *Caprearum* Inſula ab eo contra *Saracenorum* maris *Tyrrheni* litora infeſtantium invaſionem protecta fuerit. Nominantur in ea ad Geographiam medii aevi *Malitum*, *Reginna* major et *Reginniculae*, *Pauſitanum*, Homines *Lauritani*, *Gallus* inſula, *Stauis*, *Rubiliana* inſula, *Giron.* Refertur, quomodo comparuerit Vetulae *Capreis* dicens: *Ne timeas, quoniam non veniunt huc ſarraceni*, cumque interrogaret illa: *Qui uos eſtis domini mei?* reſponderit: *Nos ſumus Conſtantius et Seuerinus habitatores iſtius inſulę.* Corpore videlicet, quamvis et *Maſſa Lubrenſis* in oppoſito continente idem corpus ſibi vindicet, et *Beneventi* etiam *Conſtantio* huic cultus exhibeatur. Vide, quae in hanc rem adnotarunt *Philip. Ferrarius* in *Catal. SS. Italiae* ad 14. *Maji.* p. 281. *Bollandiani* ad eand. diem T. III. p. 374. *Ughellus Ital. ſacr.* ad Epiſcopatum *Capritan.* T. VII. p. 256. Adhortatur ſub finem Scriptor noſter: *Nos ergo dilectiſſimi fratres laudantes et benedicentes deum concurramus omnes ad beati conſtantij preclaram feſtiuitatem* &c. et demum adjicit: *Anno uidelicet dominice incarnationis nungenteſimo nonageſimo primo* (Ferrar. ſuprac. e Monum. Eccl. Benevent. a. 891.) *die uiceſima ſecunda menſis iulij. indictione quarta* (Errarunt igitur Beneventana) *uenerunt amalfiam nauidia ſarracenorum predicta.* Altera *Hiſtoria* pariter in *Lectiones* diviſa inſcribitur minio: *De tranſitu S. conſtantij*, et incipit: *Sanctiſſimus pater noſter conſtantius dum in orientali plaga fungeretur preſulatus officio — in occiduas eſt propter duriſſimam deſtinatus hereſim partes.* Ex *orientali plaga* natus fortaſſis eſt *CPolitanus* ejus Epiſcopatus. Quae vero *duriſſima* illa *haereſis*, cum ejus aetatem non teneamus? Commemorata felici ejus in agro Domini opera, pergit: *Sed cum deus dignum illum poſſe preuideret eſſe alicui genti ſolacium. exercuit ut caprea inſula omni iuuamine ſpreta. hoc diadema ſuo uertici ſtringeret totum. Peragrante denique illo maritimum callem. prefatam occidentem deuertit caſu in inſulam. Ibique languore cor-*